



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 3. Vtrum requirat opus liberum & moraliter bonum, ad
satisfaciendum factum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

satis improbat ratione facta: sed quod ille effectus a tali actu relictus, & postea in statu gratiae voluntarie acceptatus, Deoq; in satisfactionem oblatus ad hunc effectum conferat. Et ideo dicit D. Thomas priora opera valere ad satisfactionem: sed non esse necessarium ea opera reiterare, quia quantum ad id, quod de eis manet, per poenitentiam Deo accepta sunt: quod intelligendum existimo, si per novum interiorem actum talis effectus, qui est veluti poenitentia quaedam, Deo offeratur, & sic videtur eandem sententiam docere Syluester verb. *Satisfactio*, quaest. 7. Alij (vt Petrus Soto) exponunt, huiusmodi opera, quae effectum relinquunt, non esse iteranda, id est, iterum in satisfactionem imponenda: quia ratione effectus deseruire possunt in medicinam peccatorum, quod etiam verum est, moraliter intellectum: quia non tam facile huiusmodi opera iterantur propter effectum, quem relinquunt, saltem quandiu ille durat.

Syluest.

Quem fructum habeant bona opera in mortali facta.

Tertio huius doctrinae occasione hic quaeri potest, quem fructum habeant haec bona opera extra gratiam facta, si neque ad meritum, neque ad satisfactionem valent: quae res in materia de gratia proprium locum habet, disputatur tamen a Doctoribus 4. distinctio. 15. & a Soto dist. 19. quaestio. 1. Medin. tit. 3. q. 2. Nauar. c. 27. 267. & praelud. 3. n. 7. Breuiter tamen dicendum est: primum, haec opera, quia honesta sunt, ex se esse expedienda, & quasi natura sua disponere hominem ad similia opera facilius exhibenda. Secundo valent ad impedienda peccata, & consequenter ad mitigandam inferni poenam, non quidem minuendo eam, quae peccatis aliis debetur, sed impediendo maioris reatum. Et ita est intelligendus D. Tho. 3. p. q. 89. art. 6. ad 3. August. quem citat, & Glossa in cap. *Quod quidam*, de Poenit. & remis. quauis illa de fructu horum operum non bene sentire videatur. Tertio, valere dicuntur ad premium aliquod temporale, quod de congruo intelligendum est: quia, vt dixi, peccator nullius meriti de condigno capax est. Et ita est intelligendus D. Th. supra de qua re videri potest Grego. in c. *Cauendum*, de poeniten. d. 3. Quarto, valere possunt ad impetrandum a Deo aliquod auxilium, praesertim si ex gratia fiant, iuxta illud Pro. 15. *Per misericordiam, & fidem purgantur peccata*, & Daniel 4. *Peccata tua elemosynis redime*, & alia similia, quae ex Scripturis obiecta sunt, & hoc modo commode exponuntur, vt videre licet in August. Epist. 105. & lib. 50. Hom. homil. vltima.

Soto. Medin.

D Thom. Gloss.

Grego.

Daniel.

August.

ASSERTIO II.

Qui decedit in mortali, non posse satis pati in vita futura.

Dico secundo, Qui in peccato mortali decedit, non potest satis pati in vita futura pro reatu poenae, ex peccatis dimissis relicto. Hanc docent omnes auctores citatione praecedenti conclusionem, excepto Durando, & ad eam confirmandam valent omnia, quae supra quaest. 87. adduximus ad probandum, veniale peccatum non posse in inferno remitti. Est enim fere eadem ratio: quia poena per se debita veniali peccato temporalis est, & omnis remissio, seu liberatio tam a culpa, quam a poena, est effectus gratiae. Ratio vero propria est: quia apud Deum nulla poena valet ad expiandum delictum, seu reatum eius, nisi voluntarie acceptata, quia Deus non punit peccatum solum in aliorum exemplum: sed praecipue propter compensationem debitam, vt qui vo-

luntarie peccauit, voluntarie puniatur: & sicut peccatum intulit iniuriam Deo, ita poena in illius honorem redundet: sed in inferno nulla poena voluntarie acceptatur, neque vilo modo refertur a peccatore in Dei honorem, vel satisfactionem: ergo nulla poena sufficit ad tollendum reatum. Et confirmatur: quia alias etiam poena huius vitae, vt suspensio iurisdictionis, valet (praesertim in opinione Scoti) ad minuendum reatum poenae temporalis coram Deo, etiam si peccator summa cum impatientia, & Dei offensione illam sustineret, consequens vero absurdissimum est, & contra omnes sanctos, vt infra in speciali quaestione dicemus. Denique contraria sententia nullum habet fundamentum: nam poena aeterna commutatur in temporalem non quancunque: sed voluntariam, & (vt ita dicam) amabilem, & quia homo in inferno nunquam huiusmodi poenam perfoluit, mirum non est, quod simpliciter puniatur. Nec propterea Deum poenitet gratia, seu libertatis factae: quia ipse iam remittendo peccatum contulit gratiam, & constituit hominem in statu, in quo posset hanc poenam perfoluere: homo vero postea sua culpa se constituit in eo statu, in quo non posset satisfacere, nec debitam perfoluere poenam.

Contra sententiam praesertim.

ASSERTIO III.

Ad satisfactionem necessariam esse gratiam viatoris.

Tertio ex dictis concluditur, ad propriam satisfactionem esse necessariam gratiam viatoris. Quae etiam est communis sententia, & solum fere expositione indiget. Oportet enim propriam satisfactionem a satisfatione distinguere, potest enim homo, si in gratia decedat, cum aliquo reatu temporalis poenae satisfati in purgatorio, donec a reatu liberetur, vt infra in propria disp. ostendemus, & ideo nunc de illa non loquimur: quia ad illam non proprie requiritur status vitae, quancquam nec omnino sint illegitimae extra viam, cum nondum ad gloriam peruenerint. Propriam vero satisfationem vocamus illam, quam homo assumit, vt illam purgatorij poenam compenset, & ad hanc dicimus requiri gratiam viatoris. Quod primum in diuina ordinatione fundatur, per quam tempus huius vitae concessum est ad huiusmodi effectus gratiae consequendos; quia quancdiu homo hic viuunt, est quasi in certamine, & palastra, in alia vero vita, si reatum habet, puniatur quasi in carcere, & vnusquisque recipit pro ut gessit in corpore. Praeterea est alia congruentia; quia homo in hac vita, sicut organo corporis ad peccandum libere vsus est, ita dum in eodem corpore poenitentiam agit, eodem organo, & eadem voluntate vitatur, vt de seipso vindictam sumat, & ideo quancdiu hic viuunt, seipsum iudicare potest, & punire, postea vero diiudicabitur, & puniatur a Domino, quando iam non erit tempus commutationis poenae, sed executionis sententiae suae.

SECTIO III.

Utrum satisfactio requirat opus liberum, & moraliter bonum, ad satisfaciendum factum.

Tria in hoc titulo insinuantur, quae breuissime possunt expediri. Dico ergo primo, satisfactionem exhibendam esse per opus, seu poenam aliquo modo voluntariam seu liberam. Ita docent omnes Theologi dist. 15. & 16. qui propterea in definitione satisfactionis ponunt, vt voluntaria sit & in hoc a coacta punitione illam distinguunt. Et ratione prima proba-

Satisfactio nem esse liberam per opus liberam. Conclutio prima.

probatur primo: quia satisfactio est effectus virtutis poenitentiae, de ratione autem virtutis poenitentiae est, vt sit voluntaria detestatio, & vindicta peccatorum. Secundo, quia satisfactio est moralis quidam effectus, & in morali valore operis fundatur, sicut meritum: sine libertate autem nullum est esse morale in actibus. Tertio, quia homo voluntarie peccauit, dignus est poena, & ideo per voluntariam etiam poenam compenari debet: quia, vt supra dicebamus, hae poena non tantum ad aliorum exemplum, sed praecipue ad emendationem ipsius peccatoris ordinatur: vnde etiam dicebamus, ideo in hac vita potissimum concedi satisfaciendi locum: quia in illa, poena potest esse maxime voluntaria: ideo etiam in hac vita non potest amens aut dormiens satisfacere: quia voluntatis liberum usum non habet. Et in hoc sensu verum est, reatum poenae temporalis apud Deum non expiari in hac vita per solam & puram satisfactionem, id est, per poenam infligendam, & nullo modo voluntarie acceptam, vel acceptatam: vterque enim modus sufficit: vt ex dicendis constat. Et ideo dixi in conclusione, generatim oportere hanc satisfactionem esse aliquo modo voluntariam: quia non oportet, vt sit formaliter libera per modum actus à voluntate elicit, sed sufficit, vt sit actus imperatus: imo interdum etiam factus erit libera acceptatio voluntatis, quantum poena ab extrinseco sit, vt in sequentibus latius patebit.

Dico secundo, vt aliqua poena sit satisfactiua, necesse est, vt in actu moraliter bono fundata sit, vel saltem per actum voluntatis bonum moraliter acceptetur. Ita D. Thom. 1. 2. q. 1. ar. 4. quaest. 1. Pal. q. 1. n. 10. & alii. Ratio facile colligitur ex precedentibus conclusionibus: nam quia haec satisfactio esse debet voluntaria: ergo per voluntatem bonam: nam si voluntas sit mala, potius erit digna noua poena, quam venia. Tum etiam, quia haec satisfactio est per modum moralis poenae ordinatae ad correctionem satisfactantis, & ad honorem Dei, vt docet Tridentinum scilicet 14. can. 14. & 15. sed non potest esse huiusmodi, nisi in voluntate bona aliquo modo fundetur. Denique solutio poenae, seu satisfactio est effectus diuinae gratiae acceptantis per Christum nostras satisfactiones: sed Deus non acceptat id, quod malum est ad vllum gratiae effectum, nec Christus intercedit, vt mala voluntas acceptetur à Patre: ergo.

Sed quaeres, an oporteat hunc actum voluntatis formaliter esse supernaturalem, vel imperatum ab actu supernaturali. Henric. enim quodlib. 4. q. 18. significat imperium charitatis esse necessarium. Sed proprie, & in rigore non ita est, sufficit enim, vt ab habete charitatem proficiatur, sicut alias de merito dictum est: nulla est enim de satisfactione maior ratio. Videtur tamen necessarium, vt actus ipse aliquo modo supernaturalis sit, vel in se, vel saltem quantum procedit ab aliqua intentione supernaturali, vt de merito dici solet, est enim eadem ratio, & Tridentinum supra etiam fauet, & D. Thom. supra, qui vult cum satisfactione simpliciter esse coniunctum aliquod meritum, imo ipsa satisfactio nostra est per modum cuiusdam meriti, quia non est per exactam poenae infligentem: sed per quandam recompensationem proportionatam secundum morale valorem, & existimationem: sicut ergo ad meritum necessarium est opus aliquo modo supernaturale, ita etiam ad satisfaciendum.

Dices, licet ad meritum praemii supernaturalis necessarium sit opus supernaturale, tamen ad merendum temporale praemium, opus morale, & naturalis ordinis videtur sufficere: hoc autem meritum satisfactiois solum videtur esse cuiusdam praemii temporalis: scilicet, remissionis temporalis poenae. Respondetur in primis valde probabile esse nullum meritum de condigno, cuiuscunque praemii sit, esse

posse, nisi fundatum in supernaturali opere, nec de ipsa promissionem aliter esse factam: hoc autem meritum satisfactiois de condigno est, vt infra dicam. Deinde praemium eius non potest omnino dici temporale: nam licet sit temporale, vt distinguitur ab aeterno, sic enim poena, quae promittitur, est temporalis: tamen non est temporale, vt opponitur spirituali: nam diminutio poenae purgatorij magnum spirituale bonum est, & ad ordinem supernaturalem spectans, cum inde acceleretur aeterna Dei visio: ideoque ad tale bonum promerendum, necessarium est opus aliquo modo supernaturale.

Dico tertio, ad satisfaciendum non est necesse, vt actio procedat ex formali voluntate satisfaciendi: sed satis est, vt procedat ex quacunque voluntate placendi Deo, aut suae salutis aeternae. Contrarium huius conclusionis indicat Henric. supra: quia, quando opus non fit ex formali intentione satisfaciendi, non est actus vindictiuae iustitiae, & ideo non est solutio debiti; & propterea ad satisfaciendum non sufficit, quae est actus vindictiuae & commutatiuae iustitiae. Alii dicunt, tunc ex benignitate Dei remitti aliquam poenam, quantum reuera, quantum est ex parte operantis, non fiat remissio debiti: sicut si Petrus sit debitor decem aureorum Paulo, & totidem ei donet, non animo soluendi debitum, reuera non soluit, quantum alius ex sua benignitate possit remittere.

Sed hic posterior dicendi modus diuinat: nam, si homo non soluit, vnde constat Deum remittere? Quod si forte dicatur, id constare ex promissione diuina, hoc tepugnat illi modo dicendi: nam hinc concluditur, illam esse veram solutionem poenae, & veram satisfaciendum de condigno, vt latius infra dicemus. Et hinc etiam refellitur opinio Henrici, quae nimis est rigorosa: quia Scriptura sacra non requirit illam formalem intentionem: deinde, quia ad merendum non oportet, vt quis operetur propter merendum: sed satis est, vt faciat opera mercede digna: ergo neque ad satisfaciendum, proportionem seruata. Deinde perfectior intentio est placendi Deo propter amorem eius: ergo non est verisimile priuari hominem fructu satisfactiois propter hanc intentionem. Denique nullus est, qui vel formaliter, vel virtute non intendat consequi apud Deum omnem spiritualem effectum suis operibus proportionatum: ergo id factis est.

SECTIO IV.

Vtrum Satisfactio exhibenda sit per opera supererogationis seu consilij, vel possit etiam fieri per opera praecepta.

Prima sententia requirit opera, quae praecepta non sunt. Ita Paludan. distinct. 15. quaest. 1. artic. 2. Maior quaest. 2. dub. 1. Almain. quaest. 1. videtur idem sentire Scot. quaest. 1. vbi satisfactioem definit debere esse ex indebitis, quod exponit de debito praecipui, vt videre etiam licet in quaest. 2. argum. 1. cum solutione. Eum imitatur Gabr. dist. 16. q. 2. notab. 1. Capr. d. 15. q. 1. ar. 3. praesertim ad 4. cetera quartam conclusionem. Fauet D. Thom. q. 3. ar. 2. ad 3. dum inquit, *Quaedam mensura est homini adhibita, quae ab eo requiritur: scilicet impletio mandatorum, & super ea potest homo aliquid erogare, vt satisfaciatur.* Fundamentum est: quia non potest quis satisfacere duplici debito eadem solutione: quia iam non esset aequalitas iuxta doctrinam Anselmi libro primo Cur Deus homo, capit. decimo quarto vbi ait, nos non posse satisfacere Deo ad aequalitatem: quia omnia, quae illi offerre possumus, ei debemus. Ergo, si opus est debitum ex praecipio, non potest eodem solui debito pro peccato, ratione enim peccati commissi tenet

Vi poena sit satisfactiua necesse est fundatur in bono actu. Conclusio fundata. D. Thom. Palud. Trident.

Dubium deciditur.

Obi.

Obi.

Sufficit enim in hac actus procedat ex voluntate placendi Deo. Conclusio tertia.

Refellitur opinio Henrici.

Prima sententia. Palud. Maior. Almain. Scot. Gabr. Capr. D. Thom.

Anselm.